



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et  
Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pyrmontani,  
Liberi Baronis De Furstenberg**

**Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>**

**Parisiis, 1684**

Ad Amicos Germanos in Italiam Proficiscens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7748**

120 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.

A D

A M I C O S G E R M A N O S  
I N I T A L I A M P R O F I C I S C E N S .

*An. M. D C. L I I. ineunte Aprili.*

**I**Mus in Ausoniam: pressis jam pugnat habenis,  
Iterque lato poscit hinnitu fremens  
Cyllarus, impatiensque moræ pede spargit are-  
nam,  
Prætervolare gestit & cursu Notos.  
Imus, & assueti Dircæo sidera cycno,  
Phœbique sacrum Pegaso vecti nemus  
Visere, jam mediis infertas nubibus Alpes,  
**Q**ua fabulosam stravit Alcides viam;  
Aut, qua Pœnorum ductor juga rupit aceto,  
Flammisque cautes torridas ferro scidit,  
Scandemus celeres. nec post discrimina terræ,  
Tumultuosos Adriæ fluctus maris  
Securi Veneta metuemus frangere cymba,  
Delphine Arion si natat tutus suo.  
Nunc igitur dilecta domus, fratresque, sororesque,  
Et vos, Nepotes, dulcis ætatis rosa,  
Furstenbergiacæ memores virtutis Iuli,  
Valete, nostri generis optatum jubar.  
Vivite coelestes animæ, meliore metallo  
Certam trahentes seculi primi notam,  
**Q**uas amor, & Musæ docta cum Pallade nobis  
Constante semper alligaverunt fide.

VELDE

VELDE vale, primum quo nostra Thalia magistro  
 Libare fontes ausa Castalios fuit,  
 Historiae vatumque decus Suadæque Latinæ;  
 Et qui, Camenis pariter ac carus mihi,  
 Me juvenem teneris cura complexus ab annis,  
 HONINGE fida, doctus ut Chiron, manu  
 Duxisti, Patrui quo per vestigia Virtus  
 Domus avitæ gloriam sequi jubet.  
 Te quoque VECKENI, præclarum Scaldis alumnum,  
 Nostroque lumen mutuum Reno datum  
 Doctrinæ Sophiæque, sacer quam tradit Aquinas,  
 Et te MASENI, magna Pindi gloria,  
 Amplexor; dextramque tuam CRUMBACHE,  
 tuamque  
 Longum, GELENI, stringo dicturus vale.  
 Sed MALLINCRODIOS, & te suavissime TORCKI,  
 Et utraque Phœbi laude ROTTENDORFFIOS  
 Præstantes, ævi clarissima lumina nostri,  
 Amor salutis noster absentes colit  
 Eminus obsequio. Nec te BOLLANDE disertum  
 Antiquitatis sanctioris Livium  
 Præterit, aut numerose tuas BALDÆ Came-  
 nas,  
 Vatemque veris floridum BISSELIUM.  
 Omnibus impertit, quæ basia debet, amicis  
 Gaudere jussis & valere longius.  
 Sed me tam caros linquentem Roma sodales  
 Communis orbis universi civitas

Q